



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XIV. Locum Gregorij oportet esse depravatum, cùm aliquid diversum habeat ab auctoritate decessorum ejus, constetque ex Dionysio Exiguo canones tres illius Concilij receptos ab Ecclesia Romana fuisse ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Apud Holsten.
Pag. 77.

benus Bonifacio I. cujus hæc sunt verba ex epistola ad Episcopos Illyrios: *Clementissime recordationis Princeps Theodosius Nectarij ordinationem; propterea quia in nostra (id est, ejus Pontificis qui tum apostolicæ fedi præsidebat, Damasi nimirum) notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo aulicis cum Episcopis formatam huic à sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret.* Tunc verò fractæ sunt graves illæ Concilij Italici minæ de quibus paulò antè dicebamus; pacatòque Damaso, pacata etiam est Italia. Valuit itaque ordinatio Nectarij.

XI. Sed ut ad id revertamur quod de Acholio verè dicebamus, nimirum eum non tenuisse locum Damasi in secunda synodo œcumenica, hinc etiam valida istius rei probatio peti potest, quòd (ut supra illustrissimus Archiepiscopus observavit tanquam rem positam extra omnem controversiam) certum sit eam synodum nullis ornatam fuisse Romanæ Ecclesiæ Legatis. Vnde & Holstenius adnotat eam, quòd absque auctoritate Damasi habita fuerit, pro generali habitam non fuisse ab Ecclesia Romana, quæ nunquam ejus acta probavit. Quanquam si quis heic cum Holstenio contendere veller, opponere illi posset auctoritatem Photij, qui in libro de Synodis adnotat Damasum confirmasse secundam synodum œcumenicam.

Quibus hand multò post, inquit, & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit. Vnde & illustrissimus Cardinalis Baronius observat in annalibus ecclesiasticis hoc Concilium auctoritate Damasi obtinuisse nomen œcumenici Concilij. Nam & Papa Vigilius in epistolis ad Iustinianum Imp. & ad Menam Episcopum C. P. item in encyclica ad universam Ecclesiam, in qua exponit causas secessus sui ad sanctam Euphemiam, & quid ibi egerit cum Legatis Iustiniani, confessionem fidei suæ interferens, sanctam synodum Constantinopolitanam c. l. patrum numerat inter quatuor œcumenicas sive generales, exemplum prædecessoris sui Gelasij secutus. Pelagius quoque secundus confessionem fidei suæ mittens universo populo Dei, ita loquitur: *De sanctis verò quatuor Conciliis, id est, Nicæno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente divina misericordia sensisse & usque ad terminum vite meæ sentire toto animo & tota virtute profiteor, ut eas in sanctæ fidei defensione & damnationibus heresum atque hereticorum, utpote sancto firmatas Spiritu, omnimoda devotione custodiam.* Et paulò post: *Similem igitur*

suprascriptis synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido. Et in epistola ad Childebertum Regem Francorum: *Definitiones quoque de eadem catholica fide quæ in quatuor sanctis Conciliis statuta sunt, sed & memorati Pontificis, id est, Leonis primi, quas universalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos cum Dei auxilio tenere atque defendere presenti ad excellentiam vestram conloquio intimandum necessario judicavi.*

XII. Decessoris sui Pelagij vestigia premeus Gregorius istius nominis primus, cui deinde Magno cognomen hæsit, proficitur alicubi se sancta quatuor Concilia, in quibus Constantinopolitanum istud secundo loco ponit, suscipere & venerari sicut sancti evangelij quatuor libros. Longum esset ire per singulos. Sed tamen prætermitti non debet testimonium Nicolai I. qui ad Michaelem Imperatorem scripsit sanctam secundam synodum apostolicæ sedis auctoritate fultam, Nectarij ordinationem in Ecclesia Constantinopolitana fieri decrevisse: *Et idcirco, inquit, bene & optime sancta secunde synodo apostolicæ sedis auctoritate fulta ita de Nectario placuisse testamur.* Adferri quoque hoc loco debet testimonium Innocentij III. qui ad Hubaldum Episcopum Faventinum in Archiepiscopum Ravennatensem electum scribens anno MCCCVIII. IV. Idus Februarij, antiquorum Pontificum prædecessorum suorum placitis inherens, ita loquitur de Concilio isto Constantinopolitano; licet in facti specie lapsus sit, decretum Photiani Concilij tribuens secundæ synodo œcumenicæ. *Vnde contra dictum Concilium, inquit, cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia catholica Ecclesia veneratur, nullatenus videbatur eadem postulatio admittenda.*

XIII. Scio tamen adversus hæc posse reponi Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in hoc Concilio Constantinopolitano, ceterum canones illic conditos rejecisse, juxta testimonium ejusdem sancti Gregorij, qui hæc ad Eulogium Episcopum Alexandrinum & Anastasium Antiochenum scribit: *Et canones quidem Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eisdem canones vel gesta synodi illius hæcenus non habet nec accepit; in hoc autem eandem synodum suscepit quod est per eam contra Macedonium definitum.*

XIV. Testimonium illud sancti Gregorij magnæ esse constat auctoritatis. Non video tamen quomodo convenire ei possit cum ceteris Pontificibus, qui profitentur absque ulla exceptione damnare se hæreses & hære-

Vide supra hoc lib.
s. cap. 4. §. 3.

Holsten. in Notis
ad Concil. Rom.
sub Bonif. II.
Pag. 140.

Baron. ad an. 181.

Exat in Appendice
Cod. Theodof.
Pag. 218.

Gelas. I. in Decreto
de libris apocryphis.

S. Greg. I.
Epist. 14.

Nicol. I. ep.
ad Michaelem

Innoc. III. ep.
ad Hubaldum

Concil. 7. de
Phot. c. 1. ad
Gregor. 7. c. 4.
c. 1. de apoc.
c. 2.

Vide supra lib. 3.
c. 3. §. 1.

S. Gregor. I.
Epist. 14.

ticos à quatuor sanctis Conciliis damnatos, adeoque illos qui in secunda synodo œcumenica damnati sunt. Damnatio autem Macedonianorum, ut istos exempli causa sumamus, non extat nominatim in Symbolo fidei quod à synodo illa editum habemus, sed in primo canone, in quo etiam damnantur aliorum quorundam hæreticorum errores. Vnde fortassis colligi debet locum S. Gregorij non vacare mendo, tamenetsi ab Hincmaro citetur ut heic editus est. Nam præterea ævo ejus Collectio Canonum à Dionysio Exiguo adornata recepta jamdiu erat in Ecclesia Romana, ut constat ex Cassiodoro. In hac porro Collectione descriptos hodie videmus tres canones Concilij istius Constantinopolitani, non solum in libris editis, sed etiam in omnibus antiquis codicibus. Vnde colligi potest illos ab Ecclesia Romana receptos fuisse ante Gregorij Magni tempora, cessante videlicet causa propter quam repudiati erant, mitigato nimirum dolore quem Pontifices Romani conceperant ex dignitate quæ collata erat Episcopo Constantinopolitano.

XV. Scio, ut antè dixi, adversus ea quæ huc usque dicta sunt reponi posse Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in Concilio Constantinopolitano, ceterum canones ejusdem Concilij non recepisse. Verùm satis instituto meo feci, si probatum adversus Holstenium fuerit eam synodum pro generali habitam fuisse à Pontificibus Romanis & ab Ecclesia Romana. Id verò me tot auctoritatibus abundè puto confecisse, superfluumque fore omnem operam quæ in hoc argumento deinceps poneretur. Atque id quidem obtinuit, quamvis ea synodus habitata fuerit absque Damaso & absque auctoritate ejus. Non vident enim qui contrà sentiunt quantam sedi apostolicæ injuriam faciant, quam volunt Constantinopoli fuisse in suo Vicario Acholio qua tempestate jaciebantur fundamenta patriarchatus Constantinopolitani, patriarchatus inquam Constantinopolitani, cui tantis animis & per tot tempora contradixerunt Romani Pontifices tanquam novæ rei & quæ tentata esset adversus statuta Concilij Nicæni.

XVI. Melius igitur cum Romanis agitur, & æquius pro veritate, cum asseritur nul-

lam sedis apostolicæ legationem interfuisse secundæ synodo œcumenicæ, quæ Constantinopoli coacta est. Quod ut etiam Græcorum testimonio conficiamus, utemur auctoritate veteris indiculi septem Conciliorum œcumenicorum qui in veteri codice MS. Bibliothecæ regię præfixus est operibus sancti Basilij. Indiculus ille, ne quid dissimulem, non est admodum vetustus, quippe his quadringentis annis scriptus, ut apparet ex forma litterarum. Descriptum tamen esse ex vetustiori codice, qui ante octavam synodum scriptus fuerit, hinc colligi posse videtur, quòd in enumeratione synodorum, Imperatorum, Patriarcharum, quorum temporibus habitæ sunt synodi œcumenicæ, tum etiam urbium in quibus habitæ sunt, & hæreticorum adversus quos ea Concilia celebrata sunt, indiculus ille constanter desinit in septima synodo, quam in Nicæa congregatam prodit adversus Iconomachos sub Constantino & Irene, temporibus Tarasij Patriarchæ CP. & Hadriani Papæ Romani. In fine verò indiculi recensentur Romani Pontifices quorum ævo ea Concilia celebrata sunt, item eorum virorum nomina qui locum ipsorum tenuerunt in synodis œcumenicis. Primo loco ponitur Silvester, cujus locum in Nicæna synodo tenuisse dicuntur Biton & Vicentius. Sequitur Damasus, cujus ævo celebratum est Concilium CP. de quo nunc agimus. Sed in hoc loco, quemadmodum & sub Vigilio, locus Vicariorum relictus est vacuus, quia nulla Romanæ sedis legatio interfuit huic synodo. Post Damasum ponitur Celestinus, cujus locum in Ephesina synodo tenuisse Cyrillum Alexandrinum docet auctor indiculi. Deinde Leo, pro quo Pascasinus & Lucius adfuerunt in Concilio Chalcedonensi. Tum Vigilius; hinc Agatho, cujus locum in sexta synodo tenuisse leguntur Georgius, Theodorus, alter Georgius, & Ioannes. Postremò Adrianus primus, cujus vicem in septima synodo obtinuerunt Petrus & alter Petrus. Vnde constat eam fuisse Græcorum sententiam ut putarent secundam synodum habitam fuisse absque Legatis Romani Pontificis. Operæ autem pretium est heic describere postremam partem illius indiculi, ut res ista melius intelligi possit.

πάπυ.	σίλβε- ρος	χρῖσθῆλιος.	δαμασός.	κελε- στίνος.	λέων.	βιγίλλιος.	αγάθαν.	αδριανός.
τοπο- τηρη- ται.	βίππον, και βικέντιος.			κίριλλος.	πασκα- σίνος. λαχρίσος.		γεώργιος, θεόδωρος. γεώργιος χιωάννης.	πέτρος επέτρος.

